



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno CCCXLVII. ad annum CCCCI.

**Parisiis, 1644**

III. Vt neophyti vel laici, sacerdotes non fiant.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15256**

bore sit commendatior, qui vocatur in medium, ut summum sacerdotium possit accipere, probatus iudicio, non favore: susceptus veritate, non gratia: apostolico ordine \* functus, non precipiti voluntate. De quo, carissimi, mihi ante vestram sinceritatem huiusmodi literæ cucurrerunt, multo fratrum & confacerdotum consensu, ut hac vestra subscriptione firmata ecclesiastica Canonis dispositio, quæ apud Nicæam tractata \* est, confirmata, suo merito fundatissima permaneret: ut tales videlicet ad ecclesiasticum ordinem permitterentur accedere, quales apostolica auctoritas iubet, non quales dico, vel eos, qui cingulo militiæ sæcularis adstricti, olim gloriati sunt. Qui posteaquam pompa sæculari exultauerunt, aut negotiis reipublicæ optauerunt militare, aut mundi curam tractare, adhibita sibi quorundam manu, & proximorum favore stipati, hi frequenter ingeruntur auribus meis, ut episcopi esse possint, qui per traditionem & euangelicam disciplinam esse non possunt. Quantis hoc aliquoties certatum est viribus? Sed nihil tale potuit elici, quæ ratio non compellit. Etiam de longinquo veniant ordinandi, ut digni possint & plebis & nostro iudicio comprobari.

## I I.

\* Quantum illicitum sit illud, æstimari non potest, ut transeuntes (sive simulent, sive sint monachi, quod se appellant, quorum nec vitam possumus scire, nec baptismum: quorum fidem incognitam habemus, nec probatam) nolint sumptibus adiuuare, sed statim aut diaconos facere, aut presbyteros ordinare festinent, aut quod est grauius, episcopos constituere non formident. Carius apud illos, dari sumptum transeunti, quam sacerdotium non retento. Inde in superbiam exaltantur, inde insuper ad perfidiam cito corruunt, quia fidem veram in ecclesiasticis toto orbe peregrini \* discere non asseruntur.

## I I I.

Certe illud etiam non fuit prætermittendum, ut quod semel aut secundo necessitas hæreticorum intulit, contra apostolica præcepta, velut lege licitum, \* præsumi, neophytum vel laicum, qui nullo ecclesiastico functus fuerit officio, inconsiderate vel presbyterum vel diaconum ordinare: quasi meliores apostolis sint, quorum audeant mutare

1. Tim. 3.

rare præceptum: Et qui non didicit, iam docere compellitur. Ita nullus reperitur idoneus clericorum? Nec inter diaconos, nec inter alios clericos inuenitur, qui sacerdotio dignus habeatur, sed ad condemnationem ecclesiæ, laicus postulatur? Quod ne fiat ultra, admoneo. Prædico, vt vnã fidem habentes, vnum etiam in traditione sentire debeamus, probantes nos vnanimis atque concordēs \* pacifici in Christo, & in obseruationibus apostolicis habere caritatem. Medio itaque Patre & vnigenito Filio eius & Spiritu sancto, & vnus diuinitatis trinitate, conuenio, vt in his fides catholica & disciplina nostra permaneat. Nec quisquam putet, tamquam ordinationes terrenas fieri, cum cæleste sit sacerdotium, vt fidelibus gloria maneat dignitatis eiusdem, & ante tribunal Christi ex hinc non habeat, quod accuset.

\* for. pa-  
cifici in  
Christo,

EPISTOLA IV.  
SIRICII PAPÆ.

*Dilectissimis fratribus & coepiscopis per Africam, Siricius.*

CVM in vnum plurimi fratres conuenissemus ad sancti apostoli Petri reliquias, per quem & apostolatus & episcopatus in Christo cœpit exordium, placuitque propter emergentes plurimas causas, quæ in aliquantis non erant causæ, sed crimina, vt de cetero sollicitudo esset vnicuique in ecclesia curam huiusmodi habere, sicuti apostolus prædicat Paulus, *talem Deo ecclesiam exhibendam, non habentem maculam aut rugam*, ne per alicuius morbida afflatum ouis, conscientia nostra contaminata videretur. hac de re, meliore consilio id fedit, propter eos maxime, qui in præsentī valetudine corporis, aut festæ ætatis causa, adesse minime potuerunt, quo perpetuo istiusmodi forma seruetur, literas tales dare placuit, non quæ noua præcepta aliqua imperent, sed quibus ea, quæ per ignauiam desidiamque aliquorum neglecta sunt, obseruari cupiamus; quæ tamen apostolica & patrum constitutione sunt constituta. Scriptum est: *Stete, & 2. Theff. 3. tenete traditiones nostras, siue per verbum, siue per epistolam.* Illud certe vestram debet mentem, dilectissimi fratres, vehementius \* excutere, vt ab omni labe sæculi istius

Hæc est Synodalis Cœcilii Romani.

Ephes. 5.

2. Theff. 3.

\* excita-  
re,

*Concil. Tom. 3.*

Kkk